PA
4413
.A7K7

Koldewey, Fridericus.

Versus qui apud Sophoclem leguntur Antig. 905–914 utrum pro geniunis habendi sint nec ne.

Guelferbyti, 1873.

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class PA4413

Book .A7K7

SMITHSONIAN DEPOSIT

VERSUS QUI APUD SOPHOCLEM LEGUNTUR ANTIG. 905—914 UTRUM PRO GENUINIS HABENDI SINT NEC NE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM JENENSI

CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS KOLDEWEY.

LIBRARY OF THE SMITHSONIAN INSTITUTION
82194

GUELFERBYTI

MDCCCLXXIII.

PA4413
.A7K7

Antigona Sophoclea priusquam, ut mortem obeat vel potius viva in saxeo condatur sepulchro, de scena decedit, sortem suam deplorat infelicissimam. Ad inferos conqueritur sibi esse descendendum indefletae, ab amicis propinquisque desertae, innuptae, spe liberorum frustratae. Sed solatio esse sibi spem, gratam se venturam esse patri, matri, fratri, quippe quibus pio animo iusta solverit. Quod vero Polynicem fratrem sepeliverit, se a Creonte supplicium subire tristissimum. Etiam a diis se sibi videri derelictam, quamquam deorum iura non transgressa sit. Sed se sperare fore, ut qui sibi tantam intulerint iniuriam pari calamitate afficiantur.

Haec a poeta tam probe sunt composita, ut nemo, auditis iis vel perlectis, facere possit, quin ad misericordiam adducatur. Sed insunt aliquot versus, qui quibusdam doctis viris vehementer displiceant. Sunt versus 905 sqq. Antigona postquam declaravit malam se ferre mercedem, quod fratrem Polynicem pulchre honoraverit, profert haec:

καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς Φρονοῦσιν εὖ.
905. οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν
οὔτ εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο,
βίᾳ πολιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον.
τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν,
910. καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον,
μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.
τοιῷδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ
νόμῳ, Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν rell.

Decem sunt lustra, ex quo gravissima de his versibus exorta est controversia. Quam movit A. L. G. Jacobus, qui in „Sophocleis

Quaestionibus“ (Varsav. 1821. p. 362 sqq.) de hoc loco statuit haec: „In Antigones querelis versus haud paucos legimus tam absurdos ad „omnemque fabulae rationem tam ineptos, ut eos ego quidem sine dubio „adulterinos habeam, ab insipido homine elegantissimo huic poemati mala „arte insertos.“ Jacobi opinionem sagaciter impugnavit Augustus Boeckhius (Ueber die Antigone des Sophocles in Comm. Acad. Berolin. 1824. 1828). Deinde viri docti in duas discesserunt partes. Alteri cum Jacobo locum tribuebant interpolatori, alteri cum Boeckhio Sophocli.

Cum Jacobo faciunt Wunderus, Schneidewinus, Dindorfius, Wolffius, Nauckius in editionibus Antigonae satis notis, Bergkius (Soph. tragg. 1858. p. XXXIV.), Meinekius (Beiträge zur philolog. Kritik der Antigone des Soph. Berol. 1861. p. 34.), Ferdinandus de Heinemann (Erläuterungen zu Soph. Antigone in Gymn. Brunsv. progr. 1863. p. 33 sq.), Lehrsius (Jahrbb. für class. Philol. herausgeg. von Fleckeisen VIII. 1862. p. 297 sqq.), B. Langheldius (de Antigonae verss. 905—914. Brunsv. 1870.), H. Kratzius (Ueber die Echtheit der Verse 904—924 in Soph. Antig. in Gymn. Stuttg. progr. 1866.). Donnerus et Gravenhorstius denique cum hos versus in translationibus Antigonae Germanicis omittant, cuius partes sequantur, satis aperte indicant.

Contra cum Boeckhio locum servandum esse putant Solgerus, (Nachgel. Schrr. und Briefwechsel. Herausgeg. von Tieck und Raumer 1826. I. p. 162—166), Car. Schoenbornius (Ueber die Aechtheit der Verse 895—906 in Soph. Antig. Vratislav. 1827. Progr. Guben.), Wexius (Soph. Antig. I. 1829. p. 71 sqq. II. 1831. p. 222 sqq.), Godofr. Hermannus (in ed. Antig. Erfurdtiana tertia ab eo emissa 1830. praef. XXIX sqq.), M. Seyffertus (Soph. Antig. Berol. 1865.), J. A. Hartungius (Soph. Antigone. Griech. und Deutsch mit metr. Uebers. und prüf. und erklär. Anmerk. Lips. 1850. p. 192.), Baehrius (Herodoti Musae ed. II. vol. II. 1857. p. 230 sq.), C. F. Hermannus (in duabus epp. ad Baehrium datis, quas habes in Baehrii Herod. vol. II. p. 696 sqq.), Luebkerus (Die Sophokleische Theologie und Ethik. II. p. 42 sq.).

Praeter hos tot viros doctos nonnulli alii hoc de loco egerunt. Quos quod neque adire potui neque inter homines eruditos primas partes agere arbitror, singulos enumerare supersedeo.

Reputatis vero diligenter argumentis, quae utrimque afferuntur, nobis persuadere non potuimus, ut locum credamus esse adulterinum. Quam sententiam ne temere dixisse videamur, quaecunque vituperantur uberius

recenseamus. Incipiendum autem esse videtur ab ea reprehensione, quam omnium esse gravissimam nos cum adversariis consentimus. Ut enim hostium exercitus duce occiso huc illuc diffugere solet, sic et leviora argumenta, quae acie quasi instructa nobis obstant, refutata illa quae omnium princeps est reprehensionum et praecipua, facile dissolventur et discutientur. Videamus autem, quis hostis sit quibusque armis instructus.

Contendunt Jacobus quique cum eo faciunt sibi ipsi repugnare Antigonam et generositatem pietatemque suam dehonestare versibus illis. Quod ut confirment, haec proferunt argumenta. „Priore“ inquiunt, „fabulae parte Antigona satis aperte declarat, se fratrem sepelivisse, quod antiquae deorum leges id praeciperent, „atque in eadem sua oratione v. 921 se contra pietatem egisse negat „(ποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην;). Dei vero cum non solum fratres, „sed omnes propinquos, etiam maritos et liberos velint humari, Antigona „his versibus docet, contra edictum publice propositum se neque liberos „neque maritum fuisse sepulturam, certa igitur conditione, civium nimirum „obstante interdicto, pietatem erga deos suosque fuisse neglecturam. Inanis „est sophistica eius argumentatio, atque hac ipsa argumentatione a generositate sua desciscit causasque captat commenticias. Talem finxisse Antigonam Sophoclem, poetam sapientissimum, creditu est difficile“.

Gravissima profecto videtur reprehensio. Nihilominus eam refellere conabimur. Sed priusquam nostra proferemus argumenta, videamus quid obiecerint Schoenbornius, Godofr. Hermannus, Wexius, Boeckhius et qui Boeckhii vestigia legit Seyffertus.

Primus in medium procedat Schoenbornius. Cuius libellus quamquam mihi in promptu non erat, tamen quid senserit vir doctus, ex Hermanno, Boeckhio, Langheldio satis luculenter cognoscimus. Urget vero, ut Antigonam sibi non repugnare evincat, verba βίᾳ πολιτῶν v. 907. His verbis iudicat bonorum civium voluntatem oppositam esse Creontis tyranni edicto, itaque ad duas falsas hypotheses

οὔτ' εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν,
οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο

accedere tertiam: Si non Creon, sed cives vetuissent. Versus 905—907 igitur hoc sibi velle: Contra bonorum civium edictum ne tum quidem egissem, si filius, si maritus fuissent sepeliendi. Quod pulchre congruere cum iis, quae priore fabulae parte enuntiaverit Antigona, quippe quae nusquam nisi Creontis edictum se detrectasse docuerit. — Argutior

est interpretatio quam verior. Eo tempore enim, quo Antigona Thebis versabatur, summa rerum non penes populum sed apud regem erat, id quod non modo a choro civium Thebanorum, sed etiam, ab Antigona ipsa comprobatur. Illi enim Creontis edictum crudele etsi non probant, tamen palam impugnare non conantur. Haec vero dicit v. 506 sq.:

ἀλλ' ἡ τυραννὶς πολλά τ' ἄλλ' εὐδαιμονεῖ,
κἄξεστιν αὐτῇ δρᾶν λέγειν θ' ἃ βούλεται.

Creontem vero iniuria regnum tenere ne uno quidem fabulae versu declarat. Regis edictum igitur cum Thebis idem valeret quod Athenis Sophoclis aetate populi iussum, verba βίᾳ πολιτῶν h. l. et v. 79 ex more Atheniensium usurpata nihil aliud nisi „contra edictum publice propositum" significant. Antigona autem ipsa, se non invitis civibus sed contra iniusti tyranni interdictum fratrem humavisse, nusquam contendit. Quin etiam sibi conscia est, se lege humana deorum voluntati postposita id fecisse. Qua re ipsa eius continetur culpa, quamquam Boeckhio et Hegelio concedere non possumus, eam ipsam sibi culpae dare legem humanam violatam. — Accedit quod versus, si Schoenbornii interpretationem probamus, cum iis qui sequuntur versibus minime congruunt. Quare Langheldius qui Schoenbornii opinionem comprobat, vss. 908—912 pro adulterinis habendos esse censet. — Postremo si poeta exprimere voluisset id quod verbis βίᾳ πολιτῶν inesse Schoenbornius autumat, „diserte dicentem „fecisset Antigonam, aliud esse, si quid universa civitas, aliud, si tyrannus „vetaret" (Herm.). Schoenbornius igitur loco similiter medetur atque pravi medici, qui morbos mortifero veneno expellere conantur.

Jam accedat Godofredus Hermannus. Is docet, iustissimam esse Jacobi reprehensionem neque defendi posse Sophoclem. Peccasse eum aliquid hoc loco. Neque vero hanc esse causam, cur versus insipido interpolatori tribuantur. Sophoclem enim posse excusari. Multos eosque summos poetas olim peccasse et hodie quoque peccare. Errare eos, qui admiratione antiquorum capti omnia ab iis recte praeclareque instituta esse et ipsi credant et aliis ut persuadeant officium esse suum putent. Fecisse Sophoclem quod saepe fecerint tragici Graeci, ut etiam minus apto loco quod populo, argutis disceptationibus delectari solito, acceptum fore intellegeret, eius afferendi arriperet opportunitatem. — Accipio quod docet eandidus Sophoclearum fabularum iudex, quatenus de sophismate v. 908 sqq. agit. Neque enim modo Homerus, sed etiam Sophocles interdum

dormitat. Sed quod attinet ad vss. 905—907 ante pugnam manus dedisse videtur Hermannus. Sed hac de re disseretur infra.

Wexio Antigonae generositas iis quae his versibus insunt argumentis non detrectari sed augeri videtur. Omissis aliis „Cum ipsam“, inquit, „Antigonam adhibito illo argumento digitum intendentem faciat, „quantum sit illud, quod civitatis legem violarit, seque excusantem ita, ut „nonnisi summo pietatis gradu ad id, quod alias neutiquam in se receptura „fuisset, impelli potuisse profiteatur: videtur ille (poeta) talem opinionem „instillare voluisse etiam civibus suis, eosque levatos ab eo, quo facile „imbui potuissent hac fabula, levitatis errore, commonere, non sine gra„vissima causa fas esse civitatis leges migrare. Poeta igitur, quum ita „licentiam coercere et quod intendere potuisset civitatis legibus periculum „removere studeret, nonne summam potius consilii sapientiam isto loco „conspicuam admiraberis, quam ineptias ei exprobrabis?“ (l. l. p. 75 sq.). Verum etiamsi poeta h. l. exprimere voluisset id quod Wexio videtur intendisse, tamen, cum non demonstratum sit Antigonam sibi non repugnare, quod reprehendunt Jacobus quique cum eo faciunt minime refutatum est.

Transeamus ad Boeckhium, candidissimum Antigonae Sophocleae interpretem.*) Is concedit, argumento, quod hoc loco affert Antigona, minui quidem generositatem eius virtutemque, sed eam ob causam hos versus pro adulterinis non esse habendos. Pendet vero Boeckhii sententia tota ex eo quod fabulae argumentum et consilium esse iudicat. Totam enim censet tragoediam edocere: qui insolentiae et licentiae indulgeant nimiumque cupiditatibus se permittant, eos incurrere in perniciem; mortalibus sapienter esse reputandum, quid faciendum fugiendumve sit, ne iure divino aut humano neglecto graves poenas subeant; summum bonum esse sapientiam. Antigonam culpa non vacare. Fratre enim contra regis edictum sepulto leges eam violasse humanas. Priore parte fabulae cum tota fuerit in supremis fratri persolvendis officiis, eam culpae quidem sibi non fuisse consciam; sed fratre sepulto et sedato animi impetu, cum se in culpa esse fere subsenserit suaeque ipsa causae inceperit diffidere atque de salute desperare, eam ad argumentationem hanc sophisticam confugisse, ut facinus suum iure patratum esse comprobaret

---

*) In manibus est liber eius praestantissimus „Des Soph. Antigone, Griech. und Deutsch. Nebst zwei Abhandlungen über diese Trag. im Ganzen und über einzelne Stellen derselben.“ Berlin. 1843.

Ac confiteri ipsam Antigonam v. 907, etsi suppressa quasi voce, se ius humanum violasse. Quae cum ita sint, virtutem quidem virginis aliqua ex parte dehonestari, neque tamen id egisse poetam, ut mulierem depingeret culpa prorsus vacantem. Quae vero proferat Antigona, mire convenire cum eius conditione, et cum animi eius affectione. Addit Seyffertus, si quid hac tanta animi fluctuatione minus perfecte et explanate dixerit, ut dixerit sane, hoc profecto non interpolatoris temeritati aut inscitiae, sed ipsius poetae sapientissimi consilio artificioque esse tribuendum.

Boeckhius quod sit fabulae argumentum et consilium feliciter eruisse ut plerisque viris doctis*), sic etiam mihi probatur, neque intellego, cur Langheldius tantam operam perdiderit, ut Sophoclem ostendat finxisse Antigonam ab omni culpa liberam eique dedisse animum semper aeque constantem ac summa fiducia elatum. Sed facere non possum quin profitear, quod Boeckhius ad locum defendendum docet, id non omni ex parte mihi probari. Id quidem negari nequit Antigonam sibi consciam esse iuris humani a se violati; ipsam vero edictum neglectum v. 907 crimini sibi dare mihi non est persuasum. Neque scio an tale quid doceant vss. 925 sq.

ἀλλ' εἰ μὲν οὖν τάδ' ἐστὶν ἐν θεοῖς καλά,
παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες.

Quid enim? Difficile est creditu, mulierem culpae sibi consciam locutam fuisse vss. 921—924:

ποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην;
τί χρή με τὴν δύστηνον ἐς θεοὺς ἔτι
βλέπειν; τίν' αὐδᾶν ξυμμάχων; ἐπεί γε δὴ
τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην.

Sed mittamus hoc, quippe quod ad rem nihil valeat. Aliud est quod Boeckhio et Seyfferto obicimus. Concedunt Antigonam fratrem humavisse antiquis deorum legibus obsecutam, loco de quo agimus profiteri facinoris sui causam fuisse eximium fratris amorem, et si filius maritusve mortui iacuissent, neglecto iure divino humanae legi se fuisse obtemperaturam. Existimant quidem eam desperatione animique fluctuatione eo impietatis erga deos esse abreptam; sed si Antigona h. l. causam affert, cur fratrem se-

*) Bernhardius, Grundr. der griech. Liter. 1845. II. p. 804; Heinemannus, l. l. p. 3 sq.; K. O. Mueller, Gesch. der Griech. Liter. II. p. 120; Lübker, Die Soph. Theol. u. Eth. II. p. 71 sq. Etiam Hegelius cum Boeckhio consentit.

peliverit, nihilominus restat reprehensio, quod virgo ipsa quae antea docuit falsa declarat ac virtutem suam dehonestat mendacio. Haec vero reprehensio si iure ac merito profertur, gravior videtur, quam ut Sophoclem tale quid peccasse credere possimus.

Quid ergo? Nonne Jacobus et qui cum eo stant iusta de causa hunc locum contendunt esse indignum, qui a Sophocle scriptus esse putetur. Nonne nobis, qui eum defendere conabamur, gradus referendus est? Nonne iam victi sumus? Minime. Ostendere enim posse nobis videmur, si quis eo quo nos volumus modo intellexerit versus, reprehensionem illam dissolvi. Jam benigne quaeso accipias quae sumus expositurí.

Quicunque de hoc loco egerunt, Jacobus, Schneidewinus, Boeckhius, Seyffertus alii, Antigonam consentiunt his versibus afferre causam, cur fratrem sepeliverit contra regis edictum.*) Quod si recte esset iudicatum, Antigona similis esset rei, qui apud iudices fallacibus artibus se defendere conatur. Neque enim fratrem humavit, quod omnium propinquorum sibi fuit carissimus, sed quod deorum leges propinquos mortuos sepeliri iusserunt. Sed res non ita se habet, ut viri docti iudicant. Antigona enim hoc loco non chorum (cives Thebanos), sed fratrem appellat, neque affert causam, cur fratrem sepeliverit, sed nihil vult nisi ostendere, quantum honorem contulerit in fratrem, quippe qui carior sibi fuerit quam liberi maritusve, si eos habuisset.

Quod ne temere me interpretatum esse arbitreris, animadvertas quaeso, animum Antigonae alium esse in scenam prodeuntis, alium decedentis de ea. Non ignoras, qua mente priore fabulae parte fuerit virgo. Ardet pietate erga deos suosque. E prologo patet, quanta caritate Ismenam sororem complectatur. Verissime dicit v. 523:

οὔτοι συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυν.

---

*) Boeckhius p. 168: Sie entschuldigt nämlich ihre Handlung damit, dass, den sie beerdigt, ihr Bruder sei: wäre es ihr Gatte, ihr Kind, würde sie es nicht gethan haben cett. — Idem p. 168: Der Dichter lässt sie, da sie eben an die Erkenntniss ihres Unrechts angrenzt, nach Stützpunkten suchen, wie die Sophistik der Verzweiflung sie darbietet. — Seyffertus p. 76: . . restincto paullisper animi ardore ad sanitatem, ut ita dicam, humanitatis pleniorem revocata, quoniam sanctitatis iura, quae una antea defenderat, se iam obtinere non posse intellegit, ab amore fraterno, hoc est animi sui sensu, eorum quae fecerat causam repetit. — p. 77: Sequentibus versibus (905 sqq.), quomodo iure honoraverit fratrem soror, declarari *γάρ* particula rell. — Jacobus p. 365: Non vult enim (scil. Antigona) cives putare, per se temere urbis leges contemtas esse, ac docere eos studet, cur non aliter potuerit agere.

Sane, quemadmodum illo ipso tempore erat animo affecta, non modo fratrem, sed etiam sororem, liberos, maritum, siquidem eos habuisset mortuos, affecisset sepultura, etiamsi sexcenti Creontes, etiamsi tota civitas ei mortem minati essent. Sed fabula procedente mala pietatis suae consequitur praemia. Ismena auxilium in fratre sepeliendo abnuit, Creon avunculus eam capitis damnat, neque Haemon neque cives ad eam servandam contra tyrannum exsurgunt, chorus eius generositatem vituperat, ex amicis sortem eius infelicem deplorat nemo, etiam dii eam derelinquere videntur. Num mirum, quod caritas, qua antea erga omnes propinquos flagraverat, admodum refrigescit, quod etiam pietas eius erga deos labefactatur (v. 922), quod virgo infelix a suis, qui in vita remanent, animum avertit, quod Ismenam despicit, Haemonis sponsi obliviscitur, omnemque, si quam habuerat, coniugii prolisque spem abicit?

Refrigerato vero Antigonae amore erga eos, qui in vita remanserunt, propinquos amicosque, caritas eius tota confertur in eos, ad quos est descensura, patrem, matrem, fratrem. Iam vitae, quae est in terris, renunciavit, iam ad inferos avolat. Umbras igitur affata carissimas „Haec mihi“, inquit, „spes est certa gratam me venturam esse patri, gratamque tibi, o mater, „et gratam tibi, o germanum caput“ (v. 897 sqq.). Deinde cur hac spe imbuta sit, adicit causam. Quae non alia est, quam quod mortuis illis iusta praestiterit. „Vos“, inquit, „manibus meis lavi et ornavi inferiasque „in sepulchra infudi. Quod vero tuum cadaver, o Polynices, humo con„texi, hanc malam fero mercedem. Atqui ego iudicio eorum, qui sapiunt, „probe te honoravi“ (v. 900 sqq.).

Num tu putas Antigonam, quae tum erat animi affectio, appellasse viventes, quibus causam, cur fratre sepulto leges violasset humanas, exponeret? Quid enim eius iam interest, quid qui in vita remanent de facinore suo sentiant? Modo inferi, modo pater, mater, frater benigne se excipiant. Nam πλείων χρόνος, ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε (v. 74). Itaque illis versibus neminem nisi Polynicem alloquitur neque quicquam aliud ostendit nisi quanto amore eum prosecuta sit, quantum honorem in eum contulerit. „Probe“, inquit, „te honoravi; nam quod pro te conata sum, „pro liberis, pro marito, si eos habuissem mortuos, civibus vetantibus „nunquam conata essem“. Nonne haec, ut nunc quidem sentit, verissime dicit? An putas, illo ipso tempore si Haemon, si Ismena insepulti iacuissent, Antigonam cum capitis periculo eos humaturam fuisse? Si igitur hoc loco negat se quod fecerit pro fratre contra civium volun-

tatem pro liberis, pro marito facturam fuisse, verbis quidem, quae antea pronunciaverat, minime vero repugnat animi affectioni, quae est illo ipso tempore. Neque mendacio virtutem suam maculat. Nam quae profert non dicit, ut civibus facinus suum iusto iure patratum esse comprobet, sed ut fratri, quanto in honore eum habuerit, demonstret.

Si vero dubitas, num verum sit, quod ostendimus, Antigonam non afferre causam, cur fratrem contra edictum publice propositum sepeliverit, sed describere, quam eximie Polynicem honoraverit, animum quaeso advertas ad v. 904:

καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ.

Quaeritur verbum εὖ utrum sit referendum ad φρονοῦσιν an ad ἐτίμησα. Scholiasta coniungit εὖ cum φρονοῦσιν: „παρὰ τοῖς καλῶς φρονοῦσι δοκῶ σε „τετιμηκέναι, ὥστε τοὺς συνετοὺς ἀποδέξασθαι τὰ ὑπ' ἐμοῦ εἰς σὲ γενόμενα.“ Contra Triclinius εὖ refert ad ἐτίμησα: „Πάντες γὰρ οἱ νουνεχεῖς καὶ τὰ „πράγματα ὡς δεῖ διακρίνοντες ἠγάσαντό με τῆς περὶ σὲ σπουδῆς. σύναπτε δὲ τὸ „εὖ πρὸς τὸ ἐτίμησα.“ Recte coniungit Triclinius; nam verbum φρονοῦντες verbo εὖ carere potest sententia „qui sapiunt“ non mutata (cf. eiusdem tragoediae vss. 557. 707. 727. aliosque Sophoclis locos permultos). Dindorfius, licet huic consentiat, adicit, hac collocatione poetam prodi parum exercitatum, qui, metro ut satisfaceret, particulam εὖ male eo in loco collocaverit, ubi ab lectoribus Graecis non potuisset non cum φρονοῦσιν coniungi. Qua re Schneidewinus, Arndtium secutus, scribit*): καίτοι σέ γ' εὖ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ. Iure reprehenditur a Meinekio, qui monet, si singulae voces recto accentu enunciarentur, eum qui fabulam audiret (Sophocles autem fabulas suas conscripsit, non ut legerentur sed ut audirentur) εὖ ad ἐτίμησα esse relaturum. Verissime; sed fugit Meinekium non minus quam Dindorfium, vocem εὖ consulto et cogitate a poeta collocatam esse in fine, ut cum vi quadam enuncietur et ea esse videatur, quae sequente argumento definiatur atque confirmetur. Significat vero εὖ non „iure“, ut volunt, sed „pulchre, probe, eximie“. Quomodo vero fratrem honoraverit pulchre, versibus qui sequuntur satis apte aperteque Antigona explicat. In tanto enim ait se honore habuisse Polynicem, ut, quod pro eo fecerit, ne pro liberis quidem aut marito contra civium voluntatem

*) In tertia Antigonae editione, quae est in manibus. Nauckius, qui Scheidewinianam editionem sextam emisit, ad codicum lectionem rediit.

fuisset factura. Hac vero interpretandi ratione particula γάρ v. 905 satis habet quo referatur; sed si εὖ „iure“ signifare iudicatur, recte monet Schneidewinus particulam male convenire cum versu praecedente.

Diximus quae ad primam reprehensionem eamque praecipuam respondenda nobis videntur. Ostendimus, quamvis Antigona h. l. iis quae antea dixerit repugnet et aliqua ex parte a caritate pietateque sua desciscat, tamen id pulchre congruere cum ea, qua iam tum fuerit animi affectione; minime vero eam ad fallacia confugere argumenta. Neque enim eam dicere quidquam aliud, nisi quod tum re vera sentiat, neque captare argumenta, quibus civibus facinus suum iure patratum esse comprobet; sed exponere eam fratri apud inferos habitanti, quomodo eum pulchre et eximie honoraverit. Qua re illa reprehensione adduci non potuimus, ut locum cum Jacobo reiceremus aut eum cum Hermanno excusatione indigere putaremus.

Restant aliae vituperationes eaeque haud paucae; sunt vero faciliores ad refellendum. Quarum una cum prima illa arcte cohaeret. Reprehendunt enim Antigonam, quod se fratrem magis diligere quam liberos maritumve declaret. Quod tam indignum esse censent muliere ingenua, ut Sophocles ipse virgini generosae tam foedam aspersisse maculam credi nequeat. Est vero vituperatio non una, sed duplex. Primum enim Antigonae vitio datur, quod marito, deinde quod liberis praeferat fratrem.

Facile defenditur soror Polynicis, quod fratrem anteponat marito. Nam apud Graecos coniuges non tam arcto amoris vinculo coniuncti esse solebant quam apud nos. Matrimonia plerumque non contrahebantur nisi ad liberos legitimos procreandos et ad alia commoda paranda. Rarissime mulieres maritos suos tam vehementer amabant quam Andromacha Hectorem, Tecmessa Aiacem, Deianira Herculem, Alcestis Admetum, Penelopa Ulixem. Sophoclem ipsum coniugii fidem parvi aestimasse quis est, qui nesciat?*) Accedit quod Antigona Sophoclea non nupta erat sed sponsa. Eam vero amore Haemonis periisse, ex nullo traegoediae versu apparet. Nam v. 572 (ὦ φίλταθ' Αἵμων cett.) a Schneidewino apte Ismenae tribuitur (cf. quae ad hunc versum Schneidewinus annotavit). Neque in Haemonis sermonibus poeta amoris teneros sensus conspici facit. Quanta vehementia

---

*) K. O. Mueller, Gesch. der Griech. Liter. II. p. 134; Bernhardy, Gr. Liter. II. p. 785; Dindorfii vita Sophoclis in tragg. Soph. edit. III. Oxon. 1860. Vol. VIII. p. XI sqq.; Bergkius, Soph. tragg. 1858. p. XVI.

Creontis filius sponsam amaverit, non prius cognoscitur, quam mors eius nunciata est.

Antigona igitur virtuperari non potest, quod fratrem declarat sibi cariorem esse marito. Quid vero? Nonne ingenuae mulieris naturam prorsus abicit, quod etiam liberis anteponit fratrem? Videamus, Antigona num possit defendi.

Si Hegelio assentiremur, Antigonam eximia iudicaremus dignam esse laude, quod fratrem praeposuerit liberis. Docet enim ius fasque esse fratres sororesque maiore caritate amplecti quam propinquorum quemquam alium*). Sed hoc temere dictum esse luce clarius patet. Neque minus reicienda videtur sententia Solgeri et Wexii, qui censent, in Graecarum mulierum moribus fuisse positum, ut fratres et sorores non modo magis diligerent quam maritos sed etiam quam liberos**). Testis quidem fortasse esse videretur Plutarchus, qui collaudat mulierem illam Persicam, quam pari modo atque Antigonam Sophocleam fratrem praetulisse marito liberisque narrat Herodotus III, 119***). Sed Plutarchus nihil ostendit nisi antiquis temporibus non defuisse, qui fratres cariores haberent, quam liberos. Tales vero fuisse rarissimos et degenerasse a veterum Graecorum moribus, his ipsis locis et Sophocleo et Herodoteo comprobatur. Arguta illa igitur argumentatio, quam et Antigona adicit et mulier Persica, „quid aliud, quam etiam veteribus id mirum ac paene inauditum „visum esse ostendit, si mulier marito filiisque potiorem haberet fratrem“ (Herm.)? Neque mirum. Tenerrimus enim liberorum amor cuique mulieri insitus et innatus est, ita ut etiam apud feras incultasque gentes inveniatur. An putas Graecas matres liberos minus dilexisse quam Scythicas?****)

---

*) Phaenomenologie des Geistes. Berolini 1832. p. 340 sqq.

**) Solger's nachgelass. Schrr. und Briefwechsel. Herausgeg. von Tieck u. Raumer. 1826. I. p. 162—166; Wexius, l. l. p. 74.

***) Plutarchus, de frat. am. 481 E; ed. Lips. 1777. vol. VII. p. 880 sq.. Fortasse etiam Lucianus laudari potest, in cuius dialogo Toxar. c. 61. Abauchas quidam etiam fidum amicum uxori et liberis praeponit.

****) Cicero de off. I, 54 de gradibus societatis humanae disserit. „Prima, inquit, „societas in coniugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Id autem „est principium urbis et quasi seminarium rei publicae. Sequuntur fratrum coniunctiones „cett.“ Cui si cognitus fuisset mos, quem Graecarum mulierum fuisse Wexius et Solgerus autumant, non omissus esset hoc loco opinor a viro Graecorum morum peritissimo.

Quid vero? Potestne defendi Antigona? Potest, idque facillime. Namque non est mater; nondum peperit liberos; nondum ipsa experta est, quantus sit matris amor erga liberos cuiusvis ingenuae. Quicquid in eius animo inest amoris, totum in fratrem collatum est. Quae si perpenderis, non miraberis, opinor, quod Polynicis sorori frater, quocum tot annos summae familiaritatis vinculo coniuncta fuerat, carior fuit quam liberi, quos nondum habuit.

Quae restant vituperationes, omnes fere spectant ad sophisticam illam Antigonae argumentationem vss. 908—912, quam satis aptam esse equidem negaverim. Nam postquam Antigona dixit: „Probe te honoravi; „quod pro te feci, civibus vetantibus pro liberis aut marito non fecissem“, eam pérrecturam fuisse expectamus: „Nam quae nunc mihi mens est, erga „te habui amorem tam singularem, quem erga alium quemquam neque habeo „neque habere unquam potero. Creonti quidem tantus fratris amor poena „dignus esse videtur.“ Sed eiusmodi verba tantum abest, ut proferat, ut pergat: „Quanam ratione haec profero? Mortuo marito alius esset, cui nube„rem; atque si filio essem orbata, alius ex alio viro mihi nasceretur. Sed „patre et matre mortuis non iam possum sperare fore, ut alius frater mihi „oriatur.“ Non hercle possum negare, valde mihi displicere Antigonam ad hanc frigidam argumentationem confugientem. Male enim quae profert congruunt cum conditione eius atque affectione animi*). Attamen propter hanc ipsam causam locum spurium esse, non ausim contendere. Quod enim nobis displicet, num ideo etiam Graecis displicuerit necesse est? Nonne aliud eorum tempus, alia patria, alia religio, alia educatio, alii mores? Graeci vero argutis disceptationibus mirifice delectari solebant. Argutias captabant domi, in tabernis, in scholis, in foro, in theatro. Neque solum comici afferebant, quod populo gratum acceptumque esse sciebant, verum etiam tragici. Aeschylum

*) Haec est causa, cur etiam Goethio locus displicuerit. Qui cum quondam (a. 1827) confabularetur cum Eckermanno, iudicavit haec: „So kommt in der Antigone eine Stelle „vor, die mir immer als ein Flecken erscheint, und warum ich Vieles geben möchte, wenn „ein tüchtiger Philologe uns bewiese, sie wäre eingeschoben und unächt. — Nachdem „nämlich die Heldin im Laufe des Stückes die herrlichsten Gründe für ihre Handlung aus„gesprochen und den Edelmuth der reinsten Seele entwickelt hat, bringt sie zuletzt, als „sie zum Tode geht, ein Motiv vor, das ganz schlecht ist und fast an's Komische streift.“ Relatis deinde Antigonae verbis pergit: „Dies ist wenigstens der nackte Sinn dieser Stelle, „die nach meinem Gefühl in dem Munde einer zum Tode gehenden Heldin die tragische „Stimmung stört und die mir überhaupt sehr gesucht und gar zu sehr als ein dialektisches „Calcul erscheint.“ Vid. Eckermanni, Gespräche mit Goethe. vol. III. p. 128 sq.

non defugisse eiusmodi argutias, ex locis, qui infra describentur (Eum. 649 sqq.; 727 sqq. Herm.), luce clarius perspicitur. Euripidem populi voluntati indulsisse, quis est qui nesciat? Neque minus Sophocles, etsi non saepe, tamen nonnumquam disserendi spinis utitur, idque, etiamsi hunc locum praetermittimus, non semper apto loco. Inspicias, quaeso, Oedipum tyrannum. Laii filius cognito parricidio a se commisso et coniugio cum matre contracto postquam ipse sibi oculos effodit, argumentatione satis arguta, cur se oculis privaverit, exponit vss. 1369 sqq.:

ὡς μὲν τάδ' οὐχ ὧδ' ἔστ' ἄριστ' εἰργασμένα,
μή μ' ἐκδίδασκε, μηδὲ συμβούλευ' ἔτι.
ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶδ' ὄμμασιν ποίοις βλέπων
πατέρα ποτ' ἂν προσεῖδον εἰς Ἅιδου μολών,
οὐδ' αὖ τάλαιναν μητέρ', οἶν ἐμοὶ δυοῖν
ἔργ' ἐστὶ κρείσσον' ἀγχόνης εἰργασμένα cett.

Num tibi veri simile videtur Oedipum haec ipsa argumenta, cum facinus ingens et immane patraret, mente agitasse? Nonne potius statuendum est regem infelicem tantum damnum sibi non intulisse nisi furore quodam percitum atque insania abreptum?*) At hunc locum adulterinum esse, quis unquam contendit?

Sed dicunt: Ut liceat Sophocli in tragoediis etiam locis parum aptis uti disceptationibus argutis. Sed quae profert Oedipus, etsi quodam modo frigent, tamen satis clare et perspicue dicta sunt. Verum Antigonae argumentatio non modo est frigidissima, sed etiam perplexa et absurda. Accedit, quod manifestum est, unde argumentatio inepta in fabulam Sophoclis elegantissimam irrepserit. Narrat enim Herodotus 3, 119, Darium cum Intaphernem una cum filiis uxorisque fratre capitis damnavisset, illius uxori optionem dedisse unius, cui parceretur, eligendi. Mulierem vero dixisse: Εἰ μὲν δή μοι δίδοῖ βασιλεὺς ἑνὸς τὴν ψυχήν, αἱρέομαι ἐκ πάντων τὸν ἀδελφεόν. Miranti autem Dario, cur non maritum vel filium elegisset, respondisse mulierem: Ὦ βασιλεῦ, ἀνὴρ μέν μοι ἂν ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα ἀποβάλοιμι. πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκ ἔτι μευ ξωόντων ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο. ταύτῃ τῇ γνώμῃ χρεωμένη ἔλεξα ταῦτα. Facile, pergunt, intellegitur, hanc uxoris Intaphernis ratiocinationem interpolatorem quendam ad verbum fere imitatum Antigonae

*) Heinemannus, Zur aesthet. Kritik von Soph. Koenig Oedipus, in progr. gymnas. Brunsvic. 1858. p. 26 sq.

orationi temere inseruisse. Verba enim quadrant apte in mulierem Persicam, in Antigonam minime".

Gravissima sane videtur reprehensio, sed nihilominus dubito an iure proferatur. Inspiciamus quae obiiciuntur singula, et re accurate ponderata quaeramus, argumentatio, quae ab Antigona profertur, num tam sit inepta, quam velint adversarii.

Schneidewinus, Nauckius, Kratzius contendunt Antigonam, quae paullo ante (v. 862 sqq.) incestum coniugium, unde ipsa esset orta, deploraverit, dicere nequivisse, si parentes etiam tum viverent, alium fratrem posse nasci. Tantum abesse ut dixerit, ut ne cogitaverit quidem tale quid nefandum virgo verecunda. — Subtiliter sane excogitatum! Sed qui fit, ut virgo verecunda eo potuerit procedere barbariae, ut fratrem ex detestando coniugio illo ortum, ut etiam parentes, qui ipsi incestum commiserant, tam vehementer amaret? Nonne eos summopere perhorresceret casta Antigona oportebat? Atque hoc quidem satis de reprehensione futili et inani.

Neque plus valet id, quod Schneidewinus et Nauckius quaerunt, scilicet num Antigona, si iam fuisset spes fore, ut alius frater nasceretur, Polynicis cadaver avibus canibusque reliquisset lacerandum. Nescio profecto, quid mirabilibus istis argutiis respondeam. Vehementer sane dolendum, quod Sophocles non dedit operam arti logicae in universitate aliqua literarum Germanica! Tale credo vitium non commissurus fuisset.

Vituperatur praeterea Antigona, quod dicit v. 910 *ἦν μοι παῖς ἀπ' ἄλλου φωτὸς, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον.* Eam fiduciam putant bene convenire mulieri, quae iam plures pepererit liberos, in virgine esse indecorum (Jacobus p. 367; Langheldius p. 36). Recte obicit Boeckhius veteres in eiusmodi generis rebus non offendisse, *) neque maiore pudicitia usum esse Apollinem Aeschyleum (Eum. 649 sqq. Herm.), cum Orestem matricidii absolveret:

οὐκ ἔστι μήτηρ ἡ κεκλημένη τέκνου
τοκεύς, τροφὸς δὲ κύματος νεοσπόρου.
τίκτει δ' ὁ θρώσκων, ἢ δ' ἅπερ ξένῳ ξένη
ἔσωσεν ἔρνος.

Langheldius quidem respondet, si Apollo profanet pudorem, inde non sequi, similia decere Antigonam virginem apud Sophoclem; ex Eurip.

---

*) Boeckhius p. 265: „Das Alterthum kennt keine Empfindsamkeit." — „Dass „das Alterthum derb sei, weiss jedermann; und blöde Verschämtheit ist nicht eben Bildung."

Iph. Aul. 1338 sq. intellegi, Graecas virgines generosas summo pudore in talibus rebus adstrictas fuisse. Sed etiam casta Minerva illud Apollinis argumentum probat (Aesch. Eum. 727 sqq.):

Ψῆφον δ' Ὀρέστῃ τήνδ' ἐγὼ προσθήσομαι.
Μήτηρ γὰρ οὔτις ἐστὶν ἥ μ' ἐγείνατο,
τὸ ἄρσεν αἰνῶ πάντα, πλὴν γάμου τυχεῖν,
ἅπαντι θυμῷ, κάρτα δ' εἰμὶ τοῦ πατρός.

Atque Electra Sophoclea, quod Apollo Aeschyleus aperte dicit, leviter significat v. 341 sq.:

δεινόν γέ σ' οὖσαν πατρός, οὗ σὺ παῖς ἔφυς,
κείνου λελῆσθαι, τῆς δὲ τικτούσης μέλειν.

Si vero Antigonam non decet dicere se alium filium posse parere, nonne etiam pudorem virgo abicit, cum deplorat v. 862:

ἰὼ ματρῷαι λέκτρων ἆται
κοιμήματα τ' αὐτογέννητ'
ἐμῷ πατρὶ δυσμόρῳ μητρός,

et cum v. 867, 901 sq. se nuptiis destitutam nec prole gavisam mortem obire conqueritur?

In eodem versu 910 reprehendunt, quod Antigona se uno filio mortuo declarat alium ex alio viro posse suscipere. Quaerit Jacobus: „Cur ex alio? cur non ex eodem?“ Cui aliqua ex parte assentitur Seyffertus; dubitat enim, num poeta verba quae traduntur καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός scripserit, „quod sine causa sumatur maritum ante filii mortem esse vita defunctum et quod τοῦδε pronomen ad φωτὸς potius quam ad παῖς referendum videatur.“ Conicit igitur καὶ παῖς ἂν ἀλλόφαντος, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον, vocem novam ἀλλόφαντος significare ratus „aliunde susceptus.“ Confert Hom. Od. 4, 12 φαίνειν γόνον. Sed versum coniectura non indigere recte monuerunt Hermannus p. XXXI et Boeckhius p. 265. Fingit enim Antigona se habere maritum et filium. Mortuo marito ait se alium posse invenire, nec non erepto filio se alio filio posse augeri, etiam tum cum primo marito sit orbata. Εἰ τοῦδ' ἤμπλακον igitur non ad vocem παῖς, sed, id quod etiam verborum collocatio postulat, ad φωτὸς referendum est. Hypothesis vero: „si filius esset mortuus“, sumitur ex voce κατθανόντος v. 909 non minus commode quam v. 905 sq. ex κατθανὼν ἐτήκετο ad εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν suppletur: „et si liberi mortui iacuissent.“ Itaque versus 909 sq. hoc modo interpretandi sunt: Maritum, si mortuus esset, alium invenirem, et, si filius mortuus esset, alium filium et quidem ex alio viro, si viro simul

essem privata. Si autem locus emendatione indigere videatur, nescio an scribendum sit: καὶ παῖς ἂν ἄλλος, παιδὸς εἰ τοῦδ' ἤμπλακον, quod iam ante me coniecisse invenio Heiglium.*)

Praeterea contendunt adversarii, quod Intaphernis uxor de fratre superstite dixerit apte, id absurde dictum esse ab Antigona de fratre vita defuncto v. 911 sq. Addit Nauckius filiam Oedipi non exoptare fratrem nisi quem sepeliat. Equidem laudo Seyffertum verissime iudicantem: „Obliviscuntur sagacissimi homines hoc velle Antigonam, fratrem, si in„sepultum reliquisset, ita sibi perpetuo defuturum fuisse, ut eius amore, „quoniam in vivis iam non esset, ne apud mortuos quidem frui videretur. „Hac enim spe tanquam solatio se duci modo ipsa professa erat v. 987 sq.: „nam amicos apud vivos nullos invenerat, omnem amoris spem positam „habebat in mortuis."

Quas adhuc recensuimus reprehensiones omnes a sententia, quae loco inest, petitae sunt. Quae restant ad verborum delectum et sententiarum contextum spectant. Sunt autem hae.

Quas difficultates in versibus 904 et 905 inesse dictitent Schneidewinus, Dindorfius, alii, iam supra disputavimus. Vox εὖ, si cum vi quadam pronunciatur, satis commode cum ἐτίμησα coniungitur. Significat autem non „iure, mit Fug und Recht", sed pulchre, probe, eximie. Sequentibus vero versibus cum exponatur, quomodo Antigona fratrem pulchre honoraverit, particula γὰρ perbene habet quo referatur.

Deinde vituperant v. 905 εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν. Desiderari putant sententiam, quae maxime necessaria sit: „et si filius mihi mortuus esset." Sed quod desideratur, facile ex sequentibus verbis κατθανὼν ἐτήκετο suppletur. Verbum vero τήκεσθαι cur ferri non posse Schneidewinus arbitretur, non intellegimus. Significat enim non solum „tabescere", sed etiam „liquescere, diffluere", itaque satis apte dicitur de mortuo sub divo putrescente. Ceterum eandem esse vim Latinae vocis „tabes" recte monet Seyffertus, afferens Lucan. Phars. VII, 810 (tabesne cadavera solvat an rogus haud refert) et 824 (tabentes populi). Adicere poterat Liv. 41, 21, 7 (tabes cadavera absumebat) Sueton. Vit. 10 (cadaverum tabem abhorrere).**) Wolffius apte confert Eur. Suppl. 1139: τέκνα βεβᾶσιν. αἰθὴρ ἔχει νιν ἤδη, πυρὸς τετακότας σποδᾷ. Poeta vero cum pro ἐτήκετο quantitate non violata

*) Heigl, Ueber die Antigone und die Electra des Sophocles. Passau. 1828. p. 124.
**) cf. Georgis Lex.

dicere potuisset vel ἐσήπετο vel ἐπύθετο, nescio an euphemismo quodam usus illud verbum elegerit.

Tum vituperant, v. 907 verba βίᾳ πολιτῶν sumta esse ex v. 79, quippe quae pulchre conveniant Ismenae, non Antigonae. Quod temere contendi, iam supra exposuimus.

Praeterea censet Schneidewinus (in ed. Antigonae III.), quod quaerit Antigona v. 908: τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω; iocoso quodam modo dictum esse. Mihi vero doctus interpres iocari videtur huiusmodi reprehensiones proferens. Iusto igitur iure A. Nauckius in VI. editione Schneidewiniana illud Schneidewini praetermisit. Langheldio vero et Kratzio hanc quaestionem et Sophocle et tragica arte indignam esse arbitratis non respondemus nisi antiquarum tragoediarum interprete indignam esse nimiam vituperandi cupiditatem.

In v. 908 reprehendunt participium absolutum κατθανόντος. Non facile suppleri τοῦ προτέρου πόσιος. Neque tamen tale illud vitium est, cui venia dari non possit. Neque minus durius loquitur Sophocles Oed. R. 628 sq.:

Oed.: ἀρκτέον γ' ὅμως.

Creon: οὔτοι κακῶς ἄρχοντος.

cf. Matthiae, ausführl. griech. Gramm. § 563.

Deinde ἤμπλακον v. 910 obscurum esse contendunt et Schneidewinus et Nauckius. Temere. Verbum enim illud significat „amittere", ut Eur. Alc. (ed. Glasg. 1821) 247 sq. (ἀρίστης ἀμπλακὼν ἀλόχου τῆσδε), 430 et 1102 (γυναικὸς ἐσθλῆς ἤμπλακες).

Vituperat denique Schneidewinus versum 911. Sophoclem arbitratur vitato pravo „ὅστις" scripturum fuisse: οὐκ ἔσθ' ὅπως ἀδελφὸς ἂν βλάστοι ποτέ. Sed pronomen ὅστις h. l. male delectum esse, ne Schneidewinus quidem mihi persuadebit. Attici quidem pedestris quae dicitur orationis scriptores pro ὅστις sine ulla dubitatione ὅς scripsissent; sed apud poetas non raro legitur ὅστις, ubi ὅς expectamus:

Hom. Il. 23, 43 οὐ μὰ Ζῆν' ὅστις τε θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος;

Aesch. Prom. 993 sq. οὐκ ἔστιν αἴκισμ' οὐδὲ μηχάνημ' ὅτῳ
προτρέψεταί με Ζεὺς γεγωνῆσα τάδε.

Nec non Herodotus pronomine ὅστις utitur pro ὅς, cf. Matth. § 483 p. 906; Krueger, Griech. Sprachl. II. § 51. 8. 4; I. § 51. 8. 3: „In einzelnen Fällen scheint ὅστις nur als vollere Form für ὅς einzutreten." Quae cum ita sint, parvi interest, utrum id, quod codices praebent, legatur, an id, quod placet Schneidewino. Nobis abunde sufficit, si Sophoclem contra consuetudinem verborum non peccasse demonstravimus. Neque enim pauci

in Sophoclis fabulis inveniuntur versus, qui ex nostrorum grammaticorum iudicio aptius componi poterant.

Postremo in pronomine σέ v. 913 offendunt et Schneidewinus et Nauckius. Quod cum longius distet a v. 904, obscurum esse, ad quem sit referendum. Hanc vero reprehensionem inanem esse, luce est clarius. Nam pronomen σέ non pertinet ad v. 904, sed ad κασίγνητον κάρα v. 915. Eiusmodi vero reprehensiones cum proferuntur a doctis viris, nonne in mentem venit illud, quod proverbii loco dici solet, qui nimium probet, eum nihil probare?

Iam enumeratae sunt vituperationes, quas Jacobus quique cum eo faciunt contra vss. 905—914 protulerunt. Quarum pars sua ipsarum vanitate inanitateque corruunt, aliae, quae veri speciem prae se ferunt, accuratius nobis considerantibus aut dissolvuntur aut certe minuuntur. Nulla vero tam gravis est, ut locum ab interpolatore aliquo mala arte insertum esse fabulae Sophocleae nobis persuadeatur. Dummodo ne ex nostrorum, sed ex antiquorum temporum iudicio moribusque iudicemus, neve omnia a Sophocle recte praeclareque composita esse opinemur.

Haec vero sententia nostra confirmatur mira adversariorum dissensione. Minime enim concordant, quot versus pro adulterinis sint habendi, unde incipiat, quo progrediatur interpolatio. Jacobus in Quaestionibus Sophocleis p. 363 non pro certo iudicare audet, ubi versuum insititiorum cum genuinis iunctura lateat.*) Schneidewinus censet, omissis versibus 905—913 versum 914 sic restituendum esse, ut legatur: Κρέοντι μέντοι vel Μόνῳ Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν. Quocum consentit Wolffius, neque minus Heinemannus, Donnerus, Gravenhorstius probare videntur Schneidewini sententiam. Sed Wundero satis est, si versus 905—912 eiciuntur. Nauckium post verba χοὰς ἔδωκα v. 902 pergi velle ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν v. 914, narrat quidem Dindorfius, sed in Schneidewiniana editione VI., quam a. 1869 A. Nauckius emittendam curavit, versus 904—920 uncis inclusi sunt. Neque Lehrsius versus usque ad v. 920 ferendos esse arbitratur. Meinekius, quot versus interpolatori tribuendi sint, incertus est. Dindorfius versus 900—928 ab interpolatore in locum aliorum, quos scripserit Sophocles, illatos esse iudicat; Kratzio vero vss. 904—924 eiciendi esse videntur. Contra Langheldius non resecandos esse censet nisi versus 908—912, Goettingius autem loco mederi sibi videtur versibus 908—910 eiectis versuque 912 hunc in modum mutato:

οὐκ' ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν θάπτος ποτέ

*) Eiusdem editio Antigonae a. 1849 Berolini emissa non est in manibus.

(cf. Eos I. 1864. p. 182). Nonne profecto mirabilis est dissensio eaque idonea, quae suspicionem moveat, fraudis indicia non tam aperte patere in loco, de quo agimus, quam cohors Jacobi contendat?

Sed fortasse quispiam dixerit: Ut dissentiant, qui locum reiciunt; sed sunt permulti atque florent plerique summa inter viros doctos auctoritate. Non nego; num vero minore auctoritate sunt Boeckhius, Godofredus Hermannus, K. F. Hermannus, Wexius, alii? Nonne omnibus illis superior est unus Aristoteles? Qui Rhet. 3, 16, ut paradoxis iustas addendas esse causas doceat, hunc locum laudat hoc modo:

ἂν δ' ἄπιστον ᾖ, τότε τὴν αἰτίαν ἐπιλέγειν, ὥσπερ Σοφοκλῆς ποιεῖ παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης, ὅτι μᾶλλον τοῦ ἀδελφοῦ ἐκήδετο ἢ ἀνδρὸς ἢ τέκνων. τὰ μὲν γὰρ ἂν γενέσθαι ἀπολόμενα,

μητρὸς δ' ἐν ᾅδου καὶ πατρὸς βεβηκότων,
οὐκ ἔστ' ἀδελφὸς ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.

Num tu credis, Aristotelem locum, si eum suspectum habuisset, hoc modo fuisse laudaturum? An arbitraris, magni philosophi iudicium adeo corruptum fuisse, ut inepta fraus eum fugeret? Equidem tale quid mihi persuadere non possum.

Ceterum ne unus quidem ex veteribus pro genuino habuit locum Aristoteles. Nam Clemens Alexandrinus quoque eum sine ulla dubitatione Sophocli tribuit (Stromm. VI. 2. p. 747, 30; ed. Col. 629. D). Plane contra incertum est, num ab ullo veterum in suspicionem sit vocatus. Quare dubitari nequit, quin antiquis temporibus omnium consensu hi versus Sophocli sint tributi. Neque dispulsis diris illis tenebris, quibus media quae dicitur aetate veteres scriptores iacebant involuti, cum literae in lucem revocatae laetissime efflorescerent, hic locus a viris doctis in dubium vocatus est. Certe Joachimo Camerario eum ansam suspicionis non dedisse, ex eius editione Sophoclearum fabularum, quae a. 1534 prodiit, ex eiusque „Commentariis interpretationum argumenti Thebaidos fabularum Sophoclis“ eodem anno emissis clare elucet. Neque qui proximo seculo huiusque seculi initio Sophoclis traegoediis edendis interpretandisque operam navarunt, Brunckius, Musgravius, Bothius, Erfurdtius, alii, quin hi versus pro genuinis habendi sint, dubitaverunt. Neque minus nostrae favet sententiae consensio codicum. Quorum nullus est, quin versus habeat. Lectionis vero varietates leviores sunt, quam e quibus minima exoriatur suspicio.

Nolumus autem praetermittere, Jacobum non esse primum, cui quae h. l. profert Antigona displicuerint. Nam Petrus Codicillus, qui sec. XVI. in universitate Pragensi astronomiam docebat, in Antigonae translatione,

quae a. 1583 Pragensibus typis exscripta est, vss. 904 sqq. vertit hoc modo (lit. C 5,)

„Ego (inquam) adeo te honoravi, sint testes, qui recte iudicant,
„Velut si mater essem tua,
„Aut si coniunx mortuus esset meus,
„Contra legem reipublicae hoc suscipiens periculum.“

Manifestum est, virum doctum perperam interpretatum esse non quod linguae Graecae fuerit expers, sed quod ei displicuerint quae Antigona profitetur. Atque eadem de causa prave vertit Brumoeus*): „Si j'eusse été „mère et qu'il m'eût fallu rendre les derniers devoirs à un époux au prix „de ma vie, je n'aurait pas bravé une lois publique.“ Codicillus vero et Brumoeus quamvis in iis, quae Antigona dicit, offenderent, tamen non eo processerunt, ut locum ab interpolatore quodam iudicarent esse insertum. Quod primum indicasse Jacobum, non potest negari.

Verum cum non sit, cur Jacobo assentiamur, quid attinet enarrare spinosas illas disceptationes, interpolatio utrum profecta sit ab histrione aliquo procaci et inficeto, an ab Jophonte, Sophoclis filio. Qua de re uberius disputavit Wolffius in editione Antigonae. Id vero paucis memorandum esse videtur, quod quaeritur, utrum in proferendo argumento illo sophistico Sophocles imitatus sit Herodotum, an Herodotus Sophoclem, an uterque scriptor ex communi fonte argumentationem desumpserit. Qua de re mire dissentiunt viri docti, atque tam obscura est res et difficilis ad diiudicandum, ut vix sperari possit fore, ut controversia unquam dirimatur. Arcte vero cohaeret haec disceptatio aliis cum quaestionibus, cum quo anno Antigona conscripta sit a poeta, tum Sophoclesne iam, priusquam hanc tragoediam confecerit, Herodoti narrationem inspexerit vel audiverit, tum quid sit iudicandum de aliis quibusdam locis, qui et apud poetam et apud patrem historiae leguntur similes cett. Haec omnia copiosius enarrare atque diiudicare cum mihi non sit propositum, satis erit profiteri, vero proximum mihi videri, Sophoclem ut aliis locis (conferantur Oed. R. 1528 sqq. cum Herod. 1, 32, Oed. Col. 337 sqq. cum Herod. 2, 35) sic et hoc loco patrem historiae esse imitatum.

---

*) Le théâtre des Grecs par le R. P. Brumoy, de la Compagnie de Jésus. T. II. Par. 1730. 4. p. 260.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 051 631 A